

et impietatis ita definit, ut pietatem in iis cerni dicat, quae diis placeant, impietatem in iis, quae diis displiceant; pium ergo hominem esse eum, qui carus sit diis ac probetur, impium, quem oderint. Quam definitionem quamquam Socrates concedit verbis recte esse conformatam, tamen veram esse negat, quum haec sit Euthyphronis opinio, deos inter se dissentire atque contendere; aliis igitur diis alia placere et cara esse; itaque fieri posse, ut, quod pium sit, idem sit impium. Quod ipsum jucunda cum irrisione ad actionem transfertur, quam patri Euthyphro intendit, quae aliis fortasse diis placeat, aliis displiceat. Omnino etiam hac in disputatione Socrates magna et subtilitate et urbanitate falsas de diis opiniones Euthyphronis refellit ac redarguit. Quem ubi docuit apud homines nullam esse controversiam de iis, quae ratiocinando aut metiendo aut ponderando definiri possint, sed de eo, quid justum sit, quid injustum, quid honestum, quid turpe, quid bonum, quid malum, ne apud deos quidem aliis de rebus ambigi posse aut certari argumentando confirmat. At ita statuere absonum esse ex Socratis sententia quis non intelligat? Nam si dii sunt, boni sint necesse est. Cui non se intrudat locutio hac in parte maxima vi ter repetita *εἴπερ τι θεοὶ διαφέρονται* (p. 7 D), *εἴπερ στασιάζουσι περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων* (p. 8 D), *εἴπερ ἀμφισβητοῦσιν γε θεοὶ* (p. 8 E)? Dii enim si sunt, de omnibus rebus inter se consentiant necesse est. Quum igitur ne hac quidem definitione Euthyphro Socrati satisfacisset, aliam eamque meliorem conformare coactus est; quam deinde tertia dialogi parte (Cap. XI — init. Cap. XIII, p. 9 D — 11 B) superiorem consummans proponit ita, ut definiat pium esse, quod a diis ametur omnibus, omnes vero dii quod oderint, impium, et quod alii ament, alii oderint, aut neutrum esse aut utrumque. At hanc quidem definitionem sufficere Socrates negat, quod non ipsam rei naturam (*οὐσίαν*) tangat, sed id tantum afferat, quo dii afficiantur (*πάθος*). Quod quum admirabili illa, qua pollebat, arte dialectica Euthyphroni probasset, hic plane perturbatus ac paene desperatus miratur, qui tandem fiat, ut, quae modo proposuerint, nunquam suo loco maneant, sed semper moveantur atque circumferantur. Quae verba Platoni occasionem praebent inter dramaticos disputationis actus scenam inserendi plenam suavissimi leporis Socratici; Socratem enim ita disserentem facit, ut Euthyphronem comparet cum Daedalo, cujus ars tanta fuisse dicitur, ut statuae ab eo factae suo loco moverentur et quasi ambularent. Quod quum Euthyphro de semet ipso dici posse negasset et hanc Daedali artem potius tribuisset Socrati, hic, si ita esset, lepidissime respondet se tanto futurum esse artificiosorem Daedalo, quod ille sua tantum ea fecerit, ut suo loco moverentur, ipse vero etiam aliena talia facere dicatur (p. 11 C — E). Quibus interpositis quarta dialogi parte (a medio inde Cap. XIII usque ad Cap. XVI prope extremum, p. 11 E — 14 B.) ipse Socrates, ut rectius pietas definiatur, Euthyphroni ita subvenit, ut pietatem proponat partem esse justitiae (*δικαιοσύνης*). Quare jam ita definit pietatem, ut eam partem justitiae esse statuatur, quae ad deorum pertineat cultum, quum reliqua pars pertineat ad curam hominum. Hanc definitionem quum ab initio Socrates laudasset atque approbasset, tamen, ne qua ullius vocis obscuritas aut ambiguitas relinquere, hoc quaerendo ex Euthyphrone elicere studet, quinam cultus (*θεραπεία*) deorum sit intelligendus, exemplis ab arte equaria, venatoria pecuariaque petitis, ne quis in eum errorem incurrat, quasi ipsorum causa dii colantur aut etiam, id quod absonum sit, meliores reddantur. Quum vero id ipsum agat, ut Euthyphronem ad veram cultus definitionem proponendam adducat, ut ejus et natura et fine recte intellectis etiam pietatis definitio perfecta evadat, tribus exemplis medicorum, fabrum navalium, architectorum praeclare id illustrans, semper ab artificibus, famulis ministrantibus, aliquid effici, Euthyphro non modo non finem definire potest aut comprehendere, quem dii hominibus ministrantibus assequi velint, sed etiam interrogatus; *τί δὲ δῆ; τῶν πολλῶν καὶ καλῶν, ἃ οἱ θεοὶ ἀπεργάζονται, τί τὸ κεφάλαιόν ἐστι τῆς ἐργασίας;* summa rei neglecta ad pristinam suam revolvitur opinionem atque singulas quasdam actiones pias affert. Quinta enim dialogi